



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XX. De officio archidiaconorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

tum vel decretalem felicis memoriae Honorii pa-
pæ, distictione ecclesiastica vel canonica per ab-
batem protinus compellantur: nec aliquis, qui pro-
fessionem non fecerit, in abbatem vel priorem ali-
quatenus admittatur. Hoc autem, & quod de pro-
fessione, finito probationis tempore, faciendum
duximus, ad canonicos regulares vel moniales du-
ximus prorogandum. Super aliis vero, quæ ad cor-
rectionem vel reformationem tam canonicorum
quam aliorum regularium nouerimus pertinere,
prouidere intendimus, & quæ ecclesiis eorum uti-
lia, ipsis quoque salubria fuerint, concedente Do-
mino, statuemus, & statuta mandabimus per co-
rum capitula solenniter publicari.

XX.

De archidiaconis quoque statuimus, vt ecclæ-
sias utiliter & fideliter visitent de sacris vasis & ve-
stibus, & qualiter diurnis & nocturnis officiis ec-
clæsæ seruiatur, & generaliter de temporalibus &
spiritualibus inquirendo, & quæ corrigenda inue-
nerint, corrigan diligenter. Ecclesiæ autem super-
fluis non grauent expensis, sed procurationes exi-
gant, dumtaxat cum visitant, moderatas: non se-
cum ducant extraneos, sed modeste se habeant,
tam in familia quam in equis: nec vt non visi-
tent aut corrigan, siue crimina puniant, aliquid
ab aliquo recipere præsumant: nec sententiis ali-
quos inuoluant iniuste, quo ab eis pecuniam pos-
sint extorquere. Cum hæc enim & talia simonia-
cam sapient prauitatem, decernimus vt eos, quita-
lia agere præsumperint, sic extorta in duplum ero-

ANNO
CHRISTI
1237. gare in pios vsus arbitrio episcopi compellantur
alias , salua nihilo minus poena canonica contra
eos. Sint autem solicii frequenter interesse capi-
tulis per singulos decanatus , in quibus diligenter
instruant inter alia sacerdotes, vt bene sciant & sa-
ne intelligent verba canonis & baptismi, quæ sci-
licet sunt de substantia sacramenti.

XX I.

Ceterum districtius duximus inhibendum , ne
ecclesiarum prælati , & maxime archidiaconi , &
decani, vel officiales eorum , vel etiam quicumque
alii ad vniuersitatem causarum vel aliqua negotia,
ratione iurisdictionis ecclesiasticæ vel officii spiri-
tualis, ecclesiæ forum contingentia delegati, quin
de discordiis vel querelis fiat pax vel concordia in-
ter partes præsumant aliquatenus impedire : sed
quandocumque partes voluerint , a iudicio per
compositionem recedant, dummodo sit tale nego-
tium quod iure possit transfigi vel componi , nec
exigatur aliquid propter hoc ab eisdem.

XX II.

Quid ad venerabiles patres archiepiscopos &
episcopos incumbat ex officio faciendum, nomen
dignitatis eorum , quod est episcopus, id est super-
intendent, exprimit euidenter. Intendere quippe
habent , & supra gregem suum , iuxta verbum eu-
angelicum, noctis vigilias custodire. Cum igitur es-
se debeant forma gregis, ad quam se debent subdi-
ti reformare, quod nequit fieri, nisi omnibus se ex-
hibeant in exemplar. Exhortamur igitur eos in
Domino , & monemus, vt moram trahentes apud